



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 139. Ad quem spectent fructus Beneficii resignati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

pendam esse puram & perfectam ab initio, quia conditio, quæ de facto inest, non suspendit actum, subsequens autem justificatio secundum ipsum solum declarat, quod jam inerat & nobis ignotum erat, atque ideo aperit viam; non ad jus jam præhabitum, sed ad executionem, sicque pluries esse decisum affirmat; & idem iterum defendit uberius d. 37. n. 7. Vide *Rosa* à n. 106.

§. IV. In casibus illis, quibus amittitur titulus, etiam amittitur possessio; valentque dicta similiter de permutatione. Vide *Leur.* q. 242. An autem & quando vacent beneficia permutata, dicitur n. 1082.

Q. 139. *Ad quem spectent fructus beneficii resignati.* R. 960

§. I. Si resignatio sit irrita, & resignans non perdat titulum, fructus ad hunc spectant; si autem amiserit vel deposuerit titulum, caret fructibus, *Rebuff. Gonz. Paris. Leur.* p. 3. q. 246.

§. II. In resignatione pura fructus, per se loquendo, spectant ad successorem, non aliter ac si beneficium vacasset per obitum, secundum dicta à n. 950., docentque *Paris. & Lott.* In resignatione autem facta in favorem, secundum *Paris.* & alios fructus usque ad diem consensûs à Superiore præstiti debentur resignanti, & ab illo die incipiunt deberi resignatario: hinc universim verum est, quod in omni resignatione fructus non debeantur resignanti, nisi usque ad momentum, quo ab eo abdicatur titulus & possessio, ac postmodum reserventur successori, etiamsi postea prius acquirat jus in beneficio, *Barb.* Vide *Leur.* à n. 4. 961

§. III. In resignatione pura, fructus civiles, quales sunt pensiones ex censu, locagium domûs, spectant ad resignatarium, nisi resignans reservarit, aut consuetudo sit contraria, nam alioqui censetur cum

titulo abdicasse omne jus à se, *Tond. Lott.* Oppositum est in moriente, nam hic nihil disponit circa beneficium & fructus, hinc fructus civiles spectant ad hæredes, secundum ratam temporis, quo defunctus beneficium habuit, secundum dicta à n. 950., docentque *Bonac. Momet. Tond. Lott.* In resignatione in favorem, fructus civiles debentur resignanti usque ad tempus acceptationis, *Tond. Lott.* Naturales autem fructus & mixti adhuc pendentes, secundum aliquos spectant ad resignatarium, sicut spectarent ad successorem & non ad hæredes, si resignans fuisset mortuus, quia Clerici in vita æquiparantur usufructuariis, qui secundum *Nav. Momet. Bonac. Tond.* solos fructus jam collectos & à solo separatos faciunt suos; sed secundum *Covar. Mol. Garc. But. Paris Fill.* & alios spectant partim ad resignantem partim ad resignatarium, secundum ratam temporis, quo beneficium habuerunt, æquum enim est, ut qui habet titulum & præstat officium, gaudeat beneficii fructu; quod magis valet de fructibus tempore resignationis à solo separatis, licet nondum exactis vel investis, *Paris. Leuv. q. 247.*

963 Q. 140. *Ad quem spectent obligationes, jura commoda & incommoda beneficio resignato annexa. R.*

§. I. Successor in beneficio etiam nulliter resignato, per se loquendo, tenetur ex fructibus, si hoc percipiat, solvere pensiones & onera realia beneficio imposita, resignans tamen tenetur illa præstare usque ad tempus resignationis, *Gig. Barb. Paris.* Et si hoc neglexerit, putant aliqui resignatarium teneri, sicut possessor fundi tenetur ad decimas prædiales de præterito non solutas. Vide *Leuv. p. 3. q. 248.*

964 §. II. Resignans, post resignationem admissam, non tenetur amplius vi beneficii ad Horas, *Nav. Paris.*